



# The Holy See

---

IOANNES PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE

*SALUTARE SIDUS*

BEATA MARIA VIRGO, NOMINE  
« IMMACULATAE CONCEPTIONIS » APPELLATA,  
PRAECIPUA CAELESTIS PATRONA  
TOTIUS ARCHIDIOECESIS PLATENSIS ELIGITUR

Ad perpetuam rei memoriam. — Salutare sidus in huius saeculi exasperato fluctibus mari hominibus lucet, quod si respiciunt, rectum tenent iter, quod si sequuntur, tutissimum portum contingunt. Quae amica stella per translationem Beatissima Virgo Maria merito dicitur, quam Deus iis dedit opiferam Matrem, qui in hac vita peregrinantur. In hanc pientissimam Parentem Christifideles archidioecesis Platensis laudata feruntur pietate, hanc, quae primae labis Dei beneficio experta est, excolunt ac deprecantur. Quo religionis studio factum est, ut eadem augusta Virgo, nomine Immaculae Conceptionis invocata, caelestis Patrona archidioecesis, quae dicta est, eligeretur. Cum igitur Venerabilis Frater Antonius Iosephus Plaza, Platensis Praesul, Nos enixe rogasset, ut huiusmodi electionem ratam haberemus, Nos, quibus nihil antiquius est quam eiusdem Deiparae cultum incrementis augere et propagare, his precibus libenti animo statuimus obsecundare. Quae cum ita sint, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem, nomine Immaculae Conceptionis appellatam, praecipuam apud Deum Patronam totius archidioecesis Platensis confirmamus seu iterum constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus dioecesium Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum

esse ac definiendum; irritumque ex rincipio et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

*Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die X mensis Iunii anno  
MDCCCCLVIII, Pontificatus Nostri primo.*

D. Card. TARDINI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*